43940/P
C.II.K
B
545.16

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

MOTUS CORPORIS NOXIO USU,

QVAM AUSPICE DEO PROPITIO

Auctoritate Gratiosæ Facult. Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

Præside

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

Sacr. Maj. Reg. Boruss. Aul. & Consist. Magd. Consiliario, Med. & Philos. Nat. Prof. Publ. Ord.

Decano suo Spectatissimo,

Dn. Patrono, Præcept. ac Promot. suo honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

Hor. Loc. consuetis A. 1734. d. Mart.

Publicæ Eruditorum Ventilationi subjiciet

Respondens

AUG. CHRISTIAN. FRIDER. RICHTER,

Hallensis.

Halæ Magdeburg: typis Joh: Christ. Hendelii Acad: Typograph.

J. C. Sysang. Acad. Calcograph. sculps.

[1734]


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



PROOEMIUM.



I vera est fabula, quod (juxta PARMENIDEM, MELISSUM & ZENONEM, referente ARISTOTELE *Lib. I. Physs. c. 3. text. 24. & Lib. 6. c. 9. 14. text. 15.* ut & juxta PLATONEM *in dialogo de ente*, nec non DIODORUM recensentibus GASSENDO in *animadv.* in *Lib. X. Diog. Laertii p. 143.* P. LANA *Tom. I. Fr. 2. p. 67. conf. Comment. Conimbr. in phys. Aristot. L. 3. c. 2. qu. 1. art. 1. p. 452.*) Motus non entibus annumerandus sit, proinde etiam non entium nulla prædicata sunt, inde etiam sequitur, quod de Motu corporis voluntario passim declamatæ utilitates, non entibus accenseri mereantur: non quidem institutum nostrum est, in motus, essentiam, formam, originem &c. penitius & subtilius introspiciendi, nec operosum laborem impendendi

imaginabiliter de motu differendi, quemadmodum ALPHONS. BORELLUS *de vi percussionis* c. 2. difficultatem & impossibilitatem explicandi satis imaginabiliter naturam & originem motus, miratus est; id tamen hoc loco annotare lubet, quod SENNERTUS *in Epitome Physica Lib. I. c. 9.* mox ab initio docet: *insignis corporis naturalis affectio motus est, ex cujus notitia in plurimarum & abstrusarum in tota natura rerum cognitionem pervenimus & cujus ductu tota pene, quæ de rebus naturalibus est scientia inventa & constituta est: an vero motus sit, disquirere velle hominis contentiosi & protervi esse videtur: cum is omnibus sensibus percipiatur: Quare recte factum a Diogene, qui auditis rationibus Zenonis, quibus motum non esse conatus est, eas responsione dignas non judicavit, sed solum surrexit & ambulavit, innuens: in rebus quæ sensibus percipiuntur, sensibus esse credendum: quod & ipsum Aristoteles approbat in L. 8. phys. c. 3. t. 32. dicere omnia quiescere, & hujus rationem quærere, omisso sensu, est infirmitas intellectus:* cui annotationi addimus analogam relationem GASSENDI l. c. *Herophilus* dicit *Medicus Diodoro luxatum humerum, ut sibi restitueret petenti, argute illusit, bono animo esto, inquiens, nam humerus aut emotus fuit, quo in loco erat, aut in quo loco non erat: at neque in quo erat, nec in quo non erat, igitur emotus non fuit, quo scilicet sophismate Diodorus adversus motum asserentes, uti solebat.* Motu itaque omnia fiunt, generantur, immutantur, destruuntur aut corrumpuntur; motu aliqua depravantur, alia emendantur, ita ut indies contrarii effectus, a motu provenientes, observentur, ea

pro-

propter STURMIUS *in Phyſ. Hypothet. Tom. I. p. 504. 508.* ait: *& ſi motus omnium fere leviſſima res videri poſſit, in ſe tamen mirandus eſt:* inde concludit VALENTINI in *Armamentario Naturæ Syſtematico c. 4. de Motu. ſ. I. Motum qui negat, non verbis, ſed verberibus coercendus; tactus enim ipſe motus eſt:* Et quamvis in ſubtiliores motus qualitates ſcrutari hoc loco haud nobis arrideat, attamen illud indicare conſultum ducimus, quod in œconomia animali eadem motus ſpecies vitæ & ſanitati noxam conciliet, quæ iisdem viciſſim utilis exiſtit, & quidem quando & dum ille motus non in ſtatu præternaturali, ſed naturali, ordinario & temperato conſiſtit: imo quod magis eſt, quod talis motus illo etiam tempore noxius exiſtat, quo etiam utilis eſt; quod maxime adverſatur canoni, quod contraria in uno ſubjecto & uno tempore ſimul ſtare haud poſſint: quem canonem tamen varia actionum & motuum ſpecimina enervant: ita enim v. g. temperatiſſimus licet motus ſanguinis progreſſivus eximiis laudibus celebratur commendaturque, quales etiam in œconomia vitali actu poſſidet, aſt illo tempore atque ſucceſſu, quo utilitates tales conciliat, lymphæ temperatæ ac laudabili, ſerum falſum & ſulphureum affricat, immiſcet & adhæreſcere facit, proinde varias impuritates per univerſum corpus diſſeminat, aut plane maligna & virulenta miaſmata extrinſecus corpori per morſus & ictus venenoſos illata, ad interiora, nobiliora, teneriora & ſenſibiliora viſcera transfert adeoque univerſo corpori communicat; præterea

 tem-

temperatas & laudabiles sanguinis & lymphæ particulas resolvit, destruit & in perniciosum serum convertit, ut nihil dicamus de illa hujus motus efficacia, qua continua ac indesinenti allisione, attritione & affrictione fluidarum partium ad solidas, hisce successive aliquid absterfione quapiam decedat, unde nonnulli crediderunt & sibi persuaserunt, quod solidum & consistens corporis systema post aliquam temporis moram consumatur, ac noua successiva appositione, novum corpus regeneretur, quam assertionem exemplo quodam illustrare & confirmare nituntur, quando machinæ quædam aut æneæ aut ligneæ cum suis rotis, dentibus, veruculis, cylindris, crepitaculis pistrinariis, malleolis, elateribus, &c. sub perpetua commotione alterantur & consumuntur, ut nulla arcta, firma & exacta cohæsione atque nexu amplius gaudeant, adeoque nova restitutione & reparatione indigeant, was wandelbar und aus und abgelauffen ist: nec tamen omnimode hæc assertio fallax est, dum advertimus quod homines valde operosi & strenuis laboribus dediti, magis gracilescant, extenuentur & quadantenus aliis inserviendo consumantur, analogo exemplo alaudarum macilentarum, quæ diurnis captantur horis: quo spectat exemplum febricitantium & vel acuta continua vel chronica lenta & hectica febre decumbentium ægrorum, qui sub motus progressivi augmento cito & eminenter contabescunt ac gracilescunt &c. quibus speciminibus facile illucescit, quod idem motus eodem tempore

dum

dum ſalutaris exiſtit, etiam nocivus evadat: & quando ad illum canonem retroſpicimus, quem modo allegavimus, dum lucta carnis & ſpiritus, nolle & velle uno temporis momento contingere poteſt & ſolet, *video meliora proboque deteriora ſequor:* huc ducimus aſſertum B. SPENERI ex Theol. Bedenck. I. Th. p. 150. ein Mensch kan etwas wiſſen und nicht wiſſen v. g. im Schlaf: quod itaque motus operoſo ac aſſiduo, licet non exceſſive ſtudio exercitus, multa damna complectatur & pediſſequa comprehendat, variis momentis & exemplis demonſtrari & probari poſſet: ea propter non raro ab hominibus præmature ſeneſcentibus & langveſcentibus excuſationem & cauſam illam percipimus, quod in prægreſſis ætatibus multum laboraverint, corpus motu exercitaverint &c. ob id ARISTOTELES *Lib. de long. vita* eloquitur: *labor exſiccat & ſenium inducit, unde multum laborantes ſeneſcunt magis* & STOBAEUS *in ſermone de dominis & ſervis quid frugis & utilitatis conquiritis laborioſi homines! multi quiete plus acquirunt, quam anxio motu:* poſſumus juſta interpretatione etiam ad naturalia officia & requiſita applicare, quod *Pſalmo 127. v. 2.* extat: *fruſtra & ſummo mane ſurgitis & tarde reſidetis, victu veſcentes laborioſæ, adeo ille dilectis ſuis ſomnum conciliat:* Et quoniam conſervatio viciſſim etiam deſtructio rerum motu perficitur, ita congruum illius moderamen requiritur, ſi conſervatio promovenda & deſtructio avertenda eſt: in eo etiam non raro peccatur, dum partim conſiliatores, partim imitatores perverſe circa Motus uſum procedunt,

cedunt, indeque noxam atque damnum potius acquirunt, quippe quæ obſervatio & meditatio in Phyſico & Medico foro ampliſſimum campum circumſpiciendi & ventilandi invenit: ne vero extra ſphæram progrediamur, præſenti Inaugurali themate & argumento MOTUS CORPORIS NOXIUM USUM ſuccincta explicatione demonſtrare, & in oppoſito ſenſu ſalutarem illius effectum implicite ſignificare & approbare volumus: Cui conatui ut divina benedictio cœlitus annuat, humillime precamur.

§. I.

M*Otus Corporis noxium uſum* indicantes, antea ſignificamus, quod per hunc Motum ſenſu *communi* ac quaſi populari intelligamus *voluntariam* corporis per varias actiones, operationes, diverſos labores, officia nonnulla, exercitationem, ſive *neceſſitatis* cauſa, ſive *delectationis* ratione, ſive *ſanitatis* ſcopo inſtitutam &c. unde varias commotiones tam *univerſi* ſyſtematis corporis, quam variarum *regionum* & *membrorum*, *arbitrario* & voluntario *animæ* imperio ſubditorum, *generatim* quidem hac notatione intellectas volumus, quas vero ſingulas, pro *ætatis*, *ſexus*, conditionis aliarumque circumſtantiarum ratione diſcrepantes, hoc concinno labore haud percurrere placet, aſt talia animadverſionum fundamenta proponemus, quæ *ampliorem* applicationem permittunt: neque propterea *abſoluta* & univerſalis defendenda erit aſſertio, ac ſi *Motus ille corporis per ſe & promiſcue* noxius

xius exiſtat, dum *incongruus* rerum humanarum uſus, aut *abuſus* conſtanter a *vero*, juſto & convenienti uſu diſcernendus eſt: unde quidem Motus corporis ac *laborum utilitatem*, ſalubritatem & neceſſitatem ſub congrua & ordinata applicatione & exercitatione firmam, certam ac indubiam relinquimus: aſt inconſultum, *incongruum* indecentem, perverſum, irregularem ac alienum uſum illius Motus ſignificabimus, qui ob has *ſiniſtras* qualitates *noxius* & inſalubris eſt: Qualis *incongruus* motus non modo ab hominibus regularum ſanitatis humanæ conſervandæ *inſciis* & imperitis indies cum magno vitæ & ſanitatis *diſpendio* & præjudicio exercetur, unde accuſationes & declamationes illæ innotuere dieſe oder jene motion war zu ſtarck oder inconvenabel, ſed & ipſi *medici* interdum motum illum *incongrue* ordinant, aut homines eundem *perverſe* admiſtrant, adeoque *medicum* conſilium *ſiniſtre* applicant & male exequuntur, ut eapropter multiplex noxa ejusmodi motui adſcribenda ſit: huc itaque quadrat effatum ARISTOTELIS *Lib. VI. Ethic. c. 1. Non plus minusve laboris & quietis, quam ſat ſit ſuſcipiendum, verum modus in iis tenendus, quem recta ratio præſcripſit:* Quam multa propterea commoda a *congruo* Motus corporis exercitio proveniunt, tam multa viciſſim damna a *promiſcua* illius exercitatione oriuntur, ut propterea reprehendendi æque illi veniant conſiliatores medici, qui in plurimis morbis aut rectius morboſis afflictionibus, quando ſubjecta aliquali orthoſtadia adhuc gaudent, illud *Plautinum ambula* aut move corpus acclamant, ac alii qui in caſibus arduis ægros ad aquam frigidam, aut mineralem, aut Lactis uſum plenis buc-

çis allegant; cum non desint *multa* & ad firmam conclusionem formandam sufficientia exempla, quod ille Motus æque infelices & *sinistros* produxerit effectus: & quemadmodum juxta BERNHARDI effatum *sermone de pœnit. multi laborem & dolorem sustinent, quem tamen Deus non considerat*, ita multi laboriosum & *operosum* motum corporis suscipiunt, quem nec *ratio*, nec *observatio* Medicorum probat: Quare non modo ad *præservandos* imminentes morbos, sed etiam ad *minuendos*, mitigandos, *intercipiendos* & abrumpendos initiantes morbos *abstinentia a Motu* variis in casibus proficit: imo quemadmodum *diuturnus* decubitus, aut crebra *desidia compresso* cum *thorace* & *abdomine* & inclinante capite servata, nec non *operosior* corporis commotio *vitæ* & *sanitati*, aliquoties eximia afferunt *detrimenta* & præjudicia, ita *medium* quasi inter quietem & motum servare necessitas & occasio suadet: Quando vero de *abstinentia* a motus corporis exercitio paucis differere cogitamus, haud *nimiam* quietem ac *otiosam* vitam commendamus, sed potius *discretum* illius motus usum probamus; quo illud GALENI pertinet *Lib. II. meth. c. 2. nihil & quod tam magnifice prosit, quod aliqua ex parte non noceat*: unde cum *Ecclesiaste* eloquimur *cap. III. cuique sua est tempestas & tempus cuique voluntati sub cœlis - - tempus plantandi & extirpandi, rumpendi & ædificandi, projiciendi & congerendi lapides*: ita etiam motus exercitium, si utile esse debet, *suum* habet *tempus* & *gradum*, suamque *opportunitatem*, qui respectus si *negliguntur* & *incongrue* applicantur, eminentem *noxam* exequuntur.

§. II.

§. II.

In laudibus motus corporis recenſendis PECHLINUS *Lib.3.obſ.34. p.500.* inter alia hoc effatum profert: *nulla corpora morbis minus obnoxia injuriisque tolerandis magis idonea reperias, quam illorum, qui inde a prima ætate motu palæſtrico, gladiatorio aut alia vehementia firmitatem ſibi contraxere viriumque robur, quod cum in ſeram extendant, usque eo etiam immunitatem a morbis incommodisque facile ſibi procurant:* neque congruo motui corporis *elogia* ſunt deroganda: interdum vero motus corporis *noxam* ſatis manifeſtam exſerunt, ita ut *quies* præferenda veniat: hinc RIEDLINUS *Lin. Med An. V. Menſ. Auguſt. obſ.3. ſub* tit. *Quies a laboribus conſuetis interdum remediis præſtat: p.789.* diſſerit: *ſi vires diutius protrahantur, paulatim tantæ iisdem ſtruuntur inſidiæ, ut jam & damna inde illata quisquam perſentire incipiat, quibus utut remedia quædam opponantur, niſi tamen & quies in ſubſidium vocetur, fruſtra plerumque laboratur, hincque novum non eſt, quod nonnulli negotiorum mole quaſi oppreſſi ante tempus fatis cedant, quantum contra quibusdam quies profuerit, ex ſequentibus leges &c.* & porro p.791. *& ſane tam acidulas quam thermas pluribus non tam viribus ſuis, quibus egregiis pollent, profuiſſe, quam quod ſimul illi, qui uſi fuerunt, a laboribus graviſſimis aliquamdiu ſic reſpirarunt, ego quidem nullus dubito &c.* quo ſpectat quod PECHLINUS *l. c. obſ. 35. p.506.* de *nephriticis* ait: *imo ſcio etiam quibus leviores quique motus & vehicularis ille, noxam pariunt & ſtatim atque concuti incipiunt dolores exſurgunt ardoresque Renum, qui in ſabulum tandem urinasque cruentas & ru-*

bicundissimas exeant hominemque pessime afficiant: nec nostræ assertioni repugnant testimonia *Syracidis cap. 31. v. 24. audi mi fili, neve me sperne, & tandem mea dicta invenies. v. 25. in omnibus tuis negotiis esto strenuus, & tibi nullus morbus accidet* & SENECÆ *Ep. 31. Generosos animos labor nutrit; laborem si recuses, parum esse potes: non est viri timere sudorem:* ast sicut juxta eundem Senecam edendum est ut vivas, non vivendum ut edas, ita non vivendum est ut labores, sed laborandum est ut vivas: quare secundum LIVIUM *Lib. 22. Medici plus interdum quiete, quam movendo proficiunt:* addo STOBÆI effatum *sermon. de dominis & servis: remissiones & ab exantlatis laboribus quies ad novos labores homines præparant* & LAERTII dicterium *Lib. I. c. 4. Nihil est, quod assiduum laborem perferre possit,* quare dantur casus, occasiones & tempora, ubi consultius est observare *abstinentiam* a *motu* & evitare noxam inde provenientem & metuendam: quid quod sub *justa* interpretatione vera est assertio & declaratio *Hippocratis Sect. IV. aph. 14. quod motus* (in certis casibus) *corpora turbet: conf. Lib. de usu Veratri text. 3.* addimus assertum aliud in *Lib. de ulceribus §. 2. text. 1-3. stare autem ulceri minime conducit, præs. si quis in crure ulcus habeat, imo neque sedere, neque ambulare: Verum otium & quies maxime conferunt:* porro *Hipp. in Coac. Prænot. text. 82.* per κίνησιν absurdam insuperque noxiam corporis motionem taxat: Quando etiam GALENUS *in Lib. VI. Hipp. de Morb. popul. com. III. ad verb. Hipp. detractio cursibus, luctationibus, quiete multis obambulationibus* &c. commentatur, tunc quoad vocem *quietis* ita differit: *obscuri namque, sermones*

scien-

ſcientificam explanationem non admittunt: nunc itaque ſtatim hac voce deinceps ſcripta, QVIETE, *aperte cognoſcere non licet, quid per ipſam Hipocrates ſignificare voluerit, ſed quemadmodum in aliis obſcuris locutionibus ita & in iſta per conjecturas agere opus eſt: ut hoc iſti, illud alii veriſimilius videatur, quemadmodum & viſum eſt, & alius aliter quietem interpretatur: poteſt enim & de ceſſationibus, quæ exercitationibus interponuntur dicta eſſe, ſicut in aphoriſmis dixit: cum inceperit laſſari, quietemagere, ſtatim laſſitudinem tollit, poteſt etiam & de ceſſationius per integros dies futuris intelligi, poteſt autem & integram quietem aliquibus corporibus conſulere: nam ſi ipſe ita dixit: motus roborat, otium tabefacit, poſſet ſane & otioſa vita corpus attenuare: ita enim quibusdam ab exercitationibus ad otium traductis evenire conſpeximus: ſed certas conditiones ſtatuere opus eſt, qui nam ſint, qui iſtis extenuandi cauſa indigeant &c.* Hac gloſſa Galenus in *certis* caſibus, reſpectibus & circumſtantiis *abſtinentiam* a *motu* approbat: nec abſolute improbandum eſt SENECÆ effatum *Ep. 15. ad Lucil. ſtulta eſt*, ipſe ait, *mi Lucili, & minime conveniens litterato viro, occupatio exercendi lacertos & dilatandi cervicem ac latera firmandi:* & licet OVIDIUS adſtruat: *Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus? ut cupiant vitium, ni moveantur aquæ;* attamen ſatis vere etiam Poeta canit: *otia corpus alunt; animus quoque paſcitur illis; immodicus contra carpit utrumque labor:* hanc animadverſionem illuſtrat & confirmat PAULI ZACCHIÆ libellus *de Quiete ſervanda in curandis morbis*, qui *p. 6.* ediſſerit, *multis ad ſanitatem tuendam, ſalvandam, ſeruandam & repa-*

vandam motus corporis, non paucis etiam quies confert, quibus posterioribus motus magis calamitosus est: unde GALENUS in *comment. aph. 14. Sect. 4.* profitetur, *quod quies corpora servet, motio vero mutet & alteret*, & HIPP. *Sect. 2. aph. 48. quo modo exercitia exsiccare solent, eo etiam quies corporum servat humiditatem:* quibus testimoniis probare volui, quod varii medici *incongruum* & *noxium Motus* corporis usum, vicissim vero *quietis* præeminentem *utilitatem* in variis vicissitudinibus annotaverint.

§. III.

Nunc indicandum erit, quod per *Motum corporis* hoc themate *non* intelligamus *vehemens*, *simultaneum*, nimium, *excessivum* & *impetuosum* illius exercitium, quod ab omnibus etiam medicarum rerum plane ignaris pro *pernicioso* declarandum erit, nec etiam *continuum* & *nimis diuturnum* talem motum hoc loco intellectum habere volumus, quoniam humanæ *vires circumscriptos* suos habent limites, quapropter *durabile* haud est, quod alterna requie caret: multo minus de illo motu nobis *principali* respectu sermo est, quo quidam homines jam *proxime* imminentes morbos *coacto* quasi nisu *avertere*, contendunt, wann sie die Kranckheiten mit Macht übergehen, und sich nicht legen und beqvemen wollen, eapropter *utpl.* totum morbi statum *deteriorem* & graviorem reddunt; quo loco illa practica quæstio pertinet, an *Apoplecticis*, jam ipso affectu correptis, *motus* conveniat, videlicet modicæ agitationis, concussionis, gestationis &c. quod consilium HOLLERIUS *Lib. I. c. 7.* MONTANUS *Lection. in 9. Rhasis*, FORESTUS *Lib. X. obs. 75. schol.* SENNERTUS

TUS *Lib. I. Prax. Part. II. c. 32.* WEPFERUS *de Apoplexia. p. n. 210. 214. 215.* allegant & HOECHSTETTERUS *decad. 9. caſ. 5. in ſchol. p. 331.* dicit: *Motio itaque corporis in apoplexia non eſt fomidanda medico, habet authoritates, habet rationes: conf.* SCHNEIDERUS *de nova graviſſimorum trium morborum curatione Lib. de Apoplexia cap. 22. p. 804. ſequ.* BALLONIUS *Epidem. p. 7.* non deſunt tamen *alii* qui eundem motum in Apoplexia *improbant;* vid. SCHNEIDERUS, WEPFERUS, FORESTUS, NYMANNUS, &c. nec etiam *illum* motum hoc loco preſſius notamus, quem *ſani* etiam homines *nimia virium* intenſione per *longiorem vitæ* ſuæ tractum continuant, ut *præmature* enerventur & cauſam hujus *accelerati defectus* & languoris, præcedentes nimios labores accuſent, ſie hätten viel fatiquen ausgeſtanden, und ſichs in jüngern Jahren Blut ſauer werden laßen; nec *primario* ſcopo illum motum hoc titulo advertimus, quando *ſani* homines *ultra virium* ſuarum *gradum*, capacitatem & modulum, *multas* actiones auctiori & fortiori robore cogunt, indeque facile ſuccumbunt, velut in aſſimilatione quidam provocant auf die par force Pferde: hinc GALENUS *lib. de conſuet.* eloquitur: *ipſis exercitationibus, ſicut & cibo & potui, vigiliisque menſura congrua adhibenda eſt, quæ rem ipſam, neque ultra, quam par ſit, protrahat, neque etiam de illa adimat: quia exceſſus diſſolvunt vires, defectus vero tantum de utilitate detrahunt, quantum ipſi a recta menſura deficiunt: facultates itaque noſtræ robur ſibi comparant, ſi moderatis congruentibusque exercitiis foveantur:* proinde nec illum motum corporis hoc ordine *præcipuo* ſtudio annotamus,

quem

quem nonnulli homines cum insigni *animi fastidio* ac *morosa* repugnantia quasi *coacte* exercent, cum potius motus exercitium prono ac *propenso* excitatoque animo atque nutu administrari debeat, ut ex illius usu *animi* æque ac *corporis* refectio & sublevatio obtineatur; quare GALENUS iterum *lib. de exerc. parv. sphær.* disserit: *Illæ mihi sane videntur utilissimæ omnium exercitationum, quæ non solum corpus exercere, verum etiam animum oblectare possunt*: quemadmodum juxta SENECÆ effatum *in Ep. 15. modico labore animus alitur, strenuo* vicissim ac *immodico* juxta STOBÆUM de *dominis* & *servis animus* & *corpus corrumpuntur*: Et dum nonnullos noxios hujus motus corporis effectus annotare cogitamus, haud *promiscue sedentariam* vitam commendamus, nec *absolutam* quietem in *vivo* homine agnoscimus, sed cum PECHLINO *lib. 3. obs. 36. p. 507. 508.* judicamus, *sive enim quis stet aut sedeat, etiam in illa membrorum ad oculum quiete, & tamen fibrarum muscularium, quædam quasi contractio; nunc enim in stationis rectitudine perpendiculari toni aut æquilibris tensionis, nunc in sessionis angulo brachiorumque & capitis in perpendiculo recessu, qui studiosorum mos est, antagonistarum quidam est labor: Adeo sine causa, vita, quam vocant sedentaria a nonnullis velut otiosa ac inepta traduci solet; namque ut moveri membra in sessione non videantur, tamen qui motus est tonicus* (NB. audi Pechlinum mechanicum, qui motum tonicum non odio, invidia & malevolo livore prosequitur) *aut in unam partem angulumque sine alternatione determinatus, omnium difficillimus est, corpusque non parum fatigat*: recte itaque

MER-

MERCURIALIS in *Lib. de arte Gymnaſiſtica Lib. IV. c.9.p. 274.* dixit: *moderati omnes motus quibusvis fere aptantur;* & quod CASP. HOFMANNUS *in vita medica Galeni Lib. V. c.3. ſſ.20.* profitetur: *ſupponatur corpus e cenſu illorum, quæ adhuc creſcunt, - - - oportet autem præeſſe illi quendam, qui definiat bene proportionatum motum:* nihilominus Labori & Motui corporis ſua laus manet, quod nervoſe, pro ſuo more, teſtatur B. LUTHERUS *Tom. III. Wittenb. & IV. Jenenſ.* in der Ausleg. über die 15. Lieder in höhern Chor. Pſ. 127. v. 2. *Edit. Lipſ. P. V. p. 535. 536.* das Lob der Arbeit ſolte man auf alle Werckzeuge, auf die Stirn, auf die Naſe, ſo für Arbeit ſchwitzen, ſchreiben: denn die Welt hält die Arbeit für keinen Seegen, darum fliehet ſie ſie und haſſet ſie = = = die rechten Chriſten und die ſo GOtt fürchten, arbeiten mit einen leichtſinnigen und frölichen Hertzen, denn ſie erkennen GOttes Gebot und Willen: da ſiehet ein frommer Chriſtlicher Bauer an ſeinem Wagen und Pflug, ein Schuſter an ſeinem Leder und Ahle, ein Schmid und Zimmermann an Holtz und Eiſen geſchrieben dieſen Vers: Wohl dir du haſt es gut. & in der Kirchen-Poſtill. *Edit. Lipſ. 1710. Dom. V. Trinit. Evangel. p. 809. a.* Wilt du recht Chriſtlich leben, ſo laß deinen GOtt ſorgen, wie die Fiſche ins Netz kommen, und gehe du hin und nimm einen Stand an, daß du arbeiteſt: Wir wollen aber alle ſolche Stände führen, daß wir nicht arbeiten dürffen, das iſt je der Teuffel, und darum ſind wir Mönche und Pfaffen worden, alleine daß wir junckeriſch lebten und nicht dürffen arbeiten: & porro: So ſagen ſie denn, wenn man vom Glauben ſagt, und wie man auf GOtt vertrauen ſoll, und ihn ſorgen laſſen: ich muß lange glau-

ben, daß mir eine gebratene Taube ins Maul fliege, so ich nicht arbeite: ja es ist wahr, du must arbeiten, denn arbeiten ist dir geboten, aber laß deinen GOtt sorgen: gläube und arbeite, so wird dir nicht allein eine Taube, sondern auch wohl eine gebratene Gans ins Maul fliegen.

§. IV.

Ordo tractationis nunc excipit, ut *specialiori* animadversione demonstrem, *quod, ubi* & *quando motus* corporis *noxam* aliquam *vitæ* & *sanitati* afferat: ante omnia significandum erit, quod *non pauci* homines sub *sedatiori* & *quietiori* vitæ genere, vel in statu *libertatis*, vel in *custodia* ad *seram* senectutem pervenerint, de quibus aliqui judicant, sie sinds nicht anders gewohnt gewesen; ubi quidem non negandum est, quod tales homines sub *mobiliori* vita, *magis* integra, firma & constanti sanitate frui potuerint: attamen tranquillior & *quietior* vita *longævitatem* non turbavit, nec impedivit: ob id *plus quieti*, quam motui indulgere debent, homines a *nativitate* & per *consuetam educationem* quieti magis addicti, ut & a *teneris*, ab *hæreditate* & stemmatis qualitate, magis debiles & infirmi, qui ex applicatione ad *intensiores* motuum exercitationes non roborantur, sed *imbecilliores* magisque *valetudinarii* redduntur, qui exclamant: sie müsten sich mäßig und vorsichtig bewegen, sonst erregten sie sich leicht etwas: *hisce* subjectis itaque *motus* corporis *citius* officit, quam proficit: Deinde non pauci occurrunt, aut *eminenter Sanguinei*, aut *Sanguineo-cholerici*, qui valde *provide* motum corporis exercere debent, ni subtilior ac in *suspectam ebullitionem* aut phlogosin perquam pronus sanguis multis *molestis* sensationibus aut ominosis consecutionibus ansam præbeat;

qua-

quare tales homines a paululum *auctiori* motu varia *sanitatis incommoda* experiuntur, eaque propter *magis parce* & mediocriter, quam *operose* corpus movere debent: nec desunt exempla *talium* subjectorum, quæ ex *paulo auctiori* hoc motu, (ut de *excessu* illius, nulla faciamus verba) vertigines, cephalalgias, angustiam, palpitationem cordis, molestam oppletionem peripheriæ corporis, ardorem in capite, ventriculo & vesica urinaria, efflorescentias serpiginosas & varosas faciei & superficiei corporis, tubercula ardentia & pruriginosa in cute, volaticam, erysipelaceam transitoriam & fugitivam afflictionem sibi accersunt: Præterea *alia* passim occurrunt subjecta, quæ ab exercitio motus paulo faciliori & intensiori molestas, ominosas, immodicas valdeque enervantes sibi excitant *sudationes*, ut eapropter *quieti* magis, aut *valde temperato* usui motus corporis indulgere teneantur: quare alii mirantur, cur quidam homines ad *sudandum* adeo propensi existant, dum nec *immodicus labor* & motus corporis, nec *externus æstus* tempestatis ac loci accusari potest: nec etiam *semper* valde *laxus* corporis habitus culpandus venit, quamvis sanguinei & phlegmatici aliàs ad sudationes admodum proni existant; dantur tamen etiam *sanguineo-melancholici*, *sanguineo-cholerici*, qui a *levi* motu corporis facile *eximie* exæstuantur & ad *nimium sudorem* disponuntur: quibus itaque *animi* ac *corporis* temperies & *congrua quies* ordinanda & commendanda est, quoniam in iisdem subjectis non modo *lympha*, sed & *universa* massa humorum copiosis ita dictis *elasticis*, aut ad *orgasmum* assumendum, communicandum & augendum valde proclivibus materiis prædita est; quare sub *temperatissimo* motus corporis exerci-

ercitio *æqualis*, temperata & placita, nec non constans minusque *insigniter* interrupta transpiratio talium subtilissimarum *ætherearum*, *sulphurearum* & *salinarum* substantiarum adjuvanda & conservanda erit: Accedunt adhuc *connexarum* aliarum qualitatum homines, quibus motus corporis facile noxam affert & tales sunt non pauci *Plethorici*, qui unà sanguinem *laxæ*, lubricæ & *subtilis* consistentiæ possident; hisce motus *paulo excitatior* & ubi vires aliquo cum *valore* impendendæ sunt, facile *magnas turbas* & molestias in universo corpore excitat, ut citius ad *quietem* se componere & denuo quasi defervescere teneantur: etenim tales homines præceps exæstuatio & inturgescentia sanguinis, nec non oppletio capitis, pectoris, hypochondriorum & totius peripheriæ corporis, nec non *conjuncta* multiplex alia afflictio angit, ut *remissius* ac sedatius motu uti cogantur, qui eapropter conqueruntur, ihr Blut käme gleich ins Wallen, und müsten deßwegen sich in-und stille halten &c.

§. V.

Præter *generales* hasce observationes & animadversiones motus corporis facile *offensam* conciliat, hominibus *Hæmorrhagiis* liberalioribus, crebrioribus, *largioribus* & *anomalis* obnoxiis: siquidem vel ipsi pueruli ex *agiliori* commotione, aut modica cursitatione *frequentiores* sæpe narium hæmorrhagias; viri *hæmorrhoidarii*, ex modica corporis *exæstuatione* largiorem indeque magis molestum & suspectum, quam commodum & salubrem Hæmorrhoidum fluxum experiuntur, præcipue si cœteroquin inquieti, præcipitis & *immoderati animi*, nec non *diætæ spirituosæ* addicti, fuerint, quibus eapropter *sedatius* & tranquil-

quillius vitæ genus ordinandum est, quod ipsorum sanitati plus confert: hinc subjecta talibus Hæmorrhagiis prædita, a mobili vitæ genere varias ataxias ac *perversas* sibi accersunt qualitates, quæ *salubrem* illarum efficaciam turbant & intercipiunt; cujus observationis *varia*, si locus & occasio permitteret, *exempla* & *testimonia* proferre possemus: haud vero nobis adhuc hoc loco de illis sermo est, hominibus, qui nunc in *exquisite valetudinario* statu, ob Hæmorrhagias in *excessus* pronas, comprehensi sunt; de quibus forte inferius adhuc aliqualis mentio injicienda erit: Proinde dantur homines, qui nondum *exacte* & eminenter valetudinarii nominandi sunt, qui tamen a motu corporis paulo excitatiori mox *transitoriam angustiam* spirandi, imo *palpitationem* cordis molestam experiuntur, ut eapropter teneantur ab eodem motu desistere & aliqualem continentiam ac *requiem* seligere; quale quid *plethoricis* subjectis haud infrequens existit: hujus conditionis personæ si nihilominus hanc adversam qualitatem *adsuetudine* motus aut coacta motus exercitatione superare & emendare contendunt, facilius & citius sibi exquisite adversam valetudinem & *graviores* morbosas afflictiones convocant: præterea alii homines, qui *concretione pulmonum* cum *pleura* aut a *teneris*, vel ipso adhuc *partu* & *incunabulis distorsione*, dislocatione, aut *subluxatione* costarum, vertebrarum laborant, quamvis nullo *singulari morboso* statu oppressi sint, a mediocri etiam motu corporis sensibiles & ominosas *pectoris* molestias, videlicet dyspnœam, angustiam, cordis oppressionem, operosum pulsum &c. subeunt, ut iterum cogantur aliquam tranquillitatem corporis acquirere & seligere: Deinde homines

capite majori, *collo breviori*, *pectore angustiori* instructi facile a motu corporis capitis dolores, temulentiam, nimiam cum ſanguine oppletionem, difficilem & anguſtam reſpirationem aliaque connexa capitis, colli & pectoris morboſa & moleſta pathemata acquirunt, ut citius a tali motu abſtrahere debeant: quibus ſubjectis *exilia* ſunt *vaſa ſanguifera*, illa crebrior & vegetior motus corporis ad varias *moleſtias* excitandas aptus eſt, dum ſub hoc motu *ſanguis intenſius* commovetur, largius, fortius & plenius ad & per illa vaſa progreditur, adeoque moleſtas oppletiones, diſtenſiones, imo plane operoſas progreſſiones & ſtagnationes cauſatur: nec deſunt exempla *puerorum tenerorum* ac ſenſibilium, qui ſub *mediocri* corporis commotione confeſtim in eximium *æſtum* ac conjunctum *ſudorem* delabuntur, indeque facile in *conſequentes* morboſas calamitates conjiciuntur, quando cum potus ingeſtione & refrigeratione modum ſervare neſciunt, ut eapropter volatilia talia juniora ſubjecta in *exquiſito motus* moderamine ac temperie dirigenda ſint: præcipue etiam quoad *moderatum* hujus motus directorium *fœminæ* curatius advertendæ ſunt & quidem *ſenſibiliores* animo, præcipites *moribus* & *affectibus* & flexiles ac inſtabiles *reliquis* motibus *corporis* œconomiam concernentibus, quas perinde facile *paulo agilior* commotio valde alterare & *offendere* poteſt & ſolet, ut a ſanitatis integritate *deflectant*, propterea *minus æquali* applicatione & proportione motibus, paulo plus vero tranquilliori & *quietiori* vitæ generi operam dare debeant: quæ regula ſicut de *ſanis* fæminis valet, ita tanto magis ad *valetudinarias* referenda erit: tandem illorum adhuc mentio injicienda eſt hominum, qui *ſedatiori* vitæ

ſine

fine fingulari fanitatis damno *adfueti* funt, ad minimum *alia fpecie* commotionis, videlicet *fermocinatione* fe exercent; quibus alter intenfior motus corporis non modo in *moleftiam*, fed & ob *infuetudinem* in onus ac præjudicium cedit: Et hæ nonnullæ *generales* qualitates funt, quæ quibusdam fanis hominibus *comparate* noxium ufum motus corporis accelerant.

§. VI.

A fanis fubjectis ad *valetudinaria* accedimus, & primo loco ad homines *morbofa* & *morbifica Plethora* afflictos, quibus *levis*, exigua & facilis caufa, *graves*, eximias & arduas commotiones provocare & impellere folet; eft itaque in nonnullis fubjectis ita *mobilis* ac inquieta *Plethora*, ut vel fimplex athmofphæræ & *tempeftatis* mutatio ad varias *moleftias* conferat, unde eloquuntur, man fühle es, daß sich das Wetter ändern würde: tales perfonæ itaque tenentur exquifitam *temperiem* in animo, victu & potu, ac reliquo regimine obfervare, quam fi *paululum* violaverint, fubito moleftas *ebullitiones* fanguinis, *congeftiones* intra *caput*, *oculos*, *aures*, *pectus*, *ventriculum*, *veficam* urinariam, oppletiones in *externo* habitu corporis, ardores in genis & volis manuum pedumque, efflorefcentias cutis ferpiginofas, tubercula ardentia & prurientia, volaticam, protuberantias papulares, purpuratas excretiones, varofas ftagnationes, maculas varias, biliofas, fcarlatinas, cephalalgiam, ophthalmiam, tinnitum aurium, anguftam, oppreffam & operofam refpirationem, vertiginofam perturbationem ardorem ventriculi f. fodam, ftranguriam & varias alias individuales afflictiones experiuntur, ut ea propter eximium

mium *moderamen* quoad *motum* corporis ſervare & quieti interdum, præc. ſi tempeſtas *æſtuoſior* fuerit, ſi *calefacientes* cibos & potus ingeſſerint, &c. magis indulgere teneantur: Et horum ſubjectorum non æque *valde rara* exempla & ſpecimina occurrunt, quæ vulgo *ſenſibilia* & ſecundum neotericorum ſtylum euphoniae gratia, tenera, debilia, aut laxioris & *tenerioris generis nervoſi* eſſe prædicantur, aut rectius finguntur & præſumuntur, quoniam de *occultis* nec Eccleſia, nec phyſicus ſolida ratione & fundamento inſtructus, judicare poteſt, ſiquidem latentes & *occulti nervi*, non cadunt in tale liberum, promiſcuum & *frivolum* judicium medicum: quare *provocatio* ad *debile* & *tenerum genus nervoſum* nobis ut plurimum ut *aſylum* & fallacia non cauſæ videtur: & talis *volatilis* & fugitiva Plethora ſollicitis Medicis multum afflictionis, curæ & laborum cauſatur, quæ propterea ubique præſervanda, ne facilem impulſum nanciſcatur, qualis a motu corporis levi ex cauſa, viciſſim *citra exceſſus* commiſſionem oritur: Hiſce & talium qualitatum Plethoricis ſociamus illos homines, qui *in ſuſpectas* & *immodicas* inclinant *Hæmorrhagias*, quibus æque *paulo alacrior* motus corporis facile ita *præjudicioſus* eſt, ut *largus* ſucceſſus illius profluvii metuendus ſit: hinc dantur homines adeo ad *narium Hæmorrhagias* proclives, ut ſi vel *mediocriter caput*, aut reliquum corpus motu exerceant, affatim tunc ſanguis denuo e naribus erumpat; id quod etiam contingit, ſi caput leniter *ad terram* flectant: quicunque paulo *proximiorem* diſpoſitionem & inclinationem ad *Hæmoptyſin* habent, illis ſollicitum & accuratum regimen

men quoad *quamlibet* ſpeciem motus corporis ordinandum eſt, ſiquidem non pauci ultimam & *actualem* Hæmoptyſeos eruptionem ſibi *tali* corporis motu, *haud nimio* & excedente conciliant & excitant: ea propter talibus ſubjectis aſſiduam *ambulationem*, qua non modo *ſanguinis* progreſſum generatim *augent*, ſed & frequentiorem & *largiorem* affluxum & tranſitum *ad* & *per pectus* concitant, inſuper etiam *reſpirationem operoſiorem* inde provocant, commendare velle, & *rationi* & *uſui* atque *obſervationi* repugnat: quibus contra *modica vectura*, præ aliis exercitationum ſpeciebus paulo magis proficua erit: & ita tanto magis *moderamini* ſtudere debent, quibus jam *actualis* Hæmoptyſis familiaris eſt, in quibus ſanguinis motus facile *denuo* concitatur, exæſtuatur indeque ad *novum* Hæmoptyſeos *recurſum* allicitur, præcipue ſi *tacitæ congeſtiones* ad pectus continuant, inſuperque *haud firmiori* concretione *præviæ læſiones* ac rupturæ in pulmonibus factæ conſolidatæ ob novum *pleniorem*, largiorem & *fortiorem* tranſitum ſanguinis per pulmones facile *novam dilacerationem*, eamque majorem & *ampliorem* patiuntur, ut *recidivans* eruptio ſanguinis impetuoſior & *copioſior* exiſtat: quare pro *ſolidiori* confirmatione talium læſionum omnes periti medici, inter alia *ſalubria* & congrua conſilia & auxilia, *quietem* & tranquillitatem ordinant & injungunt: & quando aliqui hæmoptyicis *peregrinationes ſalutiferas* prædicant, tunc hæ, nec multis, ſed *paucis*, ob *motus* rationem, nec proxime circa *initiantem*, aut *continuantem* hæmoptyſin, nec *brevi poſt* perpeſſam illam, conducunt, ſed reſpectu connexæ *mutationis aëris* ex intemperatiori athmoſphæ-

D

mosphæra in *puriorem* & convenientiorem *salubres* esse solent.

§. VII.

Prioribus annumeramus nonnullas fæminas, quæ aut a prægresso *partu*, vel *Lochiorum* & *Mensium* turbis morbosum & crebrum *profluvium cruentum uterinum*, nullo auxilio coercibile nactæ indeque *hæmorrhousæ* redditæ sunt: haud præsens nostrum institutum est *causas* hujus uterinæ hæmorrhagiæ scrutari & investigare; illud tantum indicamus, quod ita afflictæ *eximiam moderationem* quoad *quodlibet motus* corporis exercitium observare debeant, quin a *quovis*, tanto magis paululum *vegetiori* & liberaliori motu, recursus aut perniciosus ac largus successus ejusdem Hæmorragiæ excitetur: quare nec ambulando, nec laborando, nec flectendo, nec gestando corpus exercere & afficere, sed in *exacta continentia* & *quiete* conservare se debent: quo certo modo spectat, quando huic malo quædam fœminæ *deligatione* & modica *compressione* abdominis succurrere, indeque *sedatiorem* fluxum sanguinis in *utero* hujusque confiniis procurare contendunt: Quam *provide* quidam *Hæmorrhoidum* nimis crebro & largo fluxu laborantes corpus movere debeant, attentis medicis incognitum esse haud potest, quibus nec ambulatio, nec equitatio, nec vectura, nec ulla alia succutientis motus species convenit, quali motu vicissim rectius, certius & citius *difficilem*, *impeditum* & *insufficientem* Hæmorrhoidum fluxum adjuvare, augere & *promovere* possumus: sic nobis Mercator constat, qui varias ob causas immodicum Hæmorrhoidum successum obtinuit, eundemque toties excita-

vit,

vit, quoties circumſpecta & moderata licet vectura, nundinas Salisburgenſes & Lipſienſes adire & frequentare ſuſceperat: qualia exempla plura proferre poſſemus, ſi circumſcripti laboris noſtri limites permitterent: In *cruentum mictum* proni a *mediocri* etiam motu corporis indeque proveniente facili commotione *intenſiori* ſanguinis *novos* ſuæ afflictionis *inſultus* experiuntur; ut propterea circa *illa tempora*, quibus hæc Hæmorrhagia ingruit, aut modo tranſiit, *quies* magis, quam exercitatio corporis præferenda veniat: addimus hiſce obſervationibus hanc quadantenus connexam, quod nonnullis *vulneratis* ob ſuſpectam & ſimul *latentem* læſionem notabilis ſanguiferi *vaſis*, quamvis prægreſſa *acerbior* Hæmorrhagia mitigata fuerit & ſubſtiterit, *quies* injungenda, motus viciſſim corporis *interdicendus* ſit, ne *ſedata illa*, profuſio ſanguinis *recrudeſcat* & revocetur, dum vulnus vaſis nondum firmiter concretum, facile ac cito iterum rupturam concipit: inde etiam obtingit, ut varii vulnerati propriam ob culpam, præcipue ob impatientiam, *inquietudinem* ac incongruam corporis commotionem recurrentes periculoſas hæmorrhagias cauſentur, adeoque *huic motui* conſequentem *funeſtum* exitum debeant: alii viciſſim præmatura ac præcipiti confidentia *integre* reſtitutos ſe eſſe, ſibi perſuadent, ob *præmaturam* corporis commotionem, de qua vulgo dicunt, ſie hätten ſich zu frühzeitig wieder aufgemacht: ꝛc. *novam* eamque periculoſam magis, ſi non plane lethalem Hæmorrhagiam ſubeunt, quæ communi ſuffragio huic corporis motui tribuitur: Subinde etiam *nonnulli* interni *motus*, ad certas *Hæmorrhagias* contendentes, ſed *irregularibus*, perverſis ac *anomalis* qualitatibus ſtipati,

 quan-

quando per certa temporum intervalla in *acerbiori* ac contumaciori ſuo *acceſſu* conſiſtunt, facile iterum, utpote alia levi ac vili cauſa, ita etiam tali *modico* corporis motu *excitari*, invitari & *exacerbari* poſſunt & ſolent; id quod attentis & judicioſis medicis variis *intricatis* in caſibus innotuit & comprobatum conſtat: inde illæ querelæ dieſe Leute hätten ſich mit einer gelinden motion helffen wollen, es wäre aber darauf nur ärger und ſchlimmer worden. ꝛc. hinc provocantur affectus impetuoſi & perverſi congeſtorii, ſpaſtici, inflammatorii, febriles, rhevmatici, congeſtorio-ſpaſtici & ſimiles *intricati* & *complicati* alii, qui ad familiam talium *Anomalarum Hæmorrhagiarum* ſpectant, quæ ſine tali clave ac interpretatione fruſtra a ſanguinis impuritate, vaſorum obſtructione &c. derivantur, cum vitium magis in *motuum ataxia* hæreat; unde tota *doctrina ordinis* in cauſarum indagine ducenda, ne dein *alogias* & aſyllogiſtias in reliqua explicatione & deductione committamus & cum evidenti veritatis medicæ offenſione & perverſione formemus.

§. VIII.

Seriem talium ſubjectorum *valetudinariorum*, quibus *Motus* corporis facile *nocivus* evadit, augent adhuc multa alia *variarum aliarum* qualitatum: huc itaque referimus nonnullos homines, quibus imminet *prodromis* ſuis adhuc *anonymus* morbus, dum quidem lecto ſe dicare nondum tenentur, attamen morboſam alterationem ſentiunt, velut inſolitam laſſitudinem gravativam membrorum, capitis dolorem, ſtuporem, temulentiam, appetitus proſtrationem, animi torporem, &c. &c. aſt quoniam aliqui *tranſitorium* hoc malum eſſe autumant,

nec

nec consilia medica conligunt, nec vi *imminentes* morbi se mancipare & obtemperare volunt, sed vim vi pellere conantur, motu corporis ac laboribus ingratum talem hostem fugare & avertere conantur, sie haben sich dagegen hart gestellt, haben sich nicht legen und geben wollen, haben diesen Anfall wegarbeiten wollen: hoc ipso vero conatu ac motu *caussam* morbi ita exagitant atque irritant, ut non modo morbus ipse *citius*, sed & *vehementius ingruat* ac invadat, *periculosioremque* gradum ac statum assumat, quale quid interdum cum febribus benignis & malignis, catarrhis, rheumatismis, spasmis, calculo, erysipelaceis inflammationibus, anginodeis affectibus &c. contingit & procedit; unde non semper ad votum & propositum succedit, ut *febricitantes* paroxysmum sub *intermittente* typo recurrentem, motu avertant, daß sie sich das Fieber übergehen, id quod quidem aliquando in *quartana* febre evenit, cujus observationis testimonium profert PECHLINUS l. c. obs. 55. p. 505. inquiens *amicum novi, qui cum a quartana inveterata pessime haberetur, remediorum, quæ medici manus commendaverat, pertæsus animique fidens instante jam jam paroxysmo equo se committeret feroci, cui domando cum omnes vires impendere deberet, provocata tandem quatuor horarum lassitudine eo rem deduxit, ut morbi vestigia penitus obliterarentur, neque deinde febris magis inquietaret, quæ tot medicaminum sudorumque impendio quidem frustra solicitata fuerat:* hoc ordine allegamus certos affectus *congestorios*, *rheumaticos*, *catarrhales* in hominibus *sensibilibus* & ad *vagos* ac *instabiles* affectus pronis, de *calido* temperamento, *fluido* valde &

in *orgasmos* proclivi ſanguine participantibus, qui affe-ctus, modo *eminus* accedentes, facile poſt *aliqualem* cor-poris commotionem eximie *exercerbantur*, ut *magno* gradu irruant & ſubjecta hæc opprimant, inde confiten-tur, der Fluß ſey durch dieſe Bewegung heftiger gefallen, habe ſich da und dorthin geſencket ꝛc. unde admodum concitatur & impulſus talis affectus *gravius*, pertinaci-us & periculoſius affligit, quin plane ſi antea *ſimplicior* extiterit, nunc *anomalæ febris* comitatum aſſumit, ac in *complicatum* ſtatum convertitur, hinc conqueruntur es ſey einem dieſe Bewegung gar übel bekommen: quid quod accidit, ut in *certis* individuis, *nonnulli* affectus in *va-gum* ſtatum inclinantes ob ejusmodi motum corporis, licet *mediocriter*, attamen illo tempore, ubi *quies* magis *proficua* fuiſſet, *inopportune* exercitum, in *actualem va-gabundum*, erraticum, anomalum & perverſum ſtatum conjiciantur: De *tertiana* febre peritis practicis ſub pru-denti attentione innoteſcit, quas *conſecutiones* motus corporis, die *recurrentis* paroxyſmi ſuſceptus, in ſub-jectis *junioribus*, plethoricis, calidi temperamenti, ſen-ſibilibus &c. &c. involvat, wenn ſie ſich den paroxyſ-mum übergehen wollen: inde enim facile *intermittens* ta-lis febris in *continuam* & hanc quidem ſatis gravem, *pe-riculoſam*, vehementem, imo plane interdum *irregula-rem* & cum *fatali* decurſu conjunctam, convertitur & transformatur: in quibus non alia cauſa, quam prædi-ctus *motus* corporis accuſandus venit: In *nonnullis* affe-ctibus *biliosis* ſimile quid evenit, ut fluidior, mobilior & ſubtilior bilis *paulo largiori* copia intra duodenum effu-ſa, tranquillius & *quietius* tractata, mitius & lenius ab-

ſterſa

ſterſa & evacuata fuiſſet, quæ vero per motum corporis ita exagitatur, ut citius *latiusque* per *tenuia* diffundatur & *diſtribuatur* inteſtina, eaque propter *arduus* affectus bilioſus excitetur, colica aut diarrhæa bilioſa aliaque conjunctata morboſa afflictio provocetur: quale notatu dignum ſpecimen & exemplum nobis conſtat in Senatore certæ civitatis, qui proxime ante meridiem in curia ſub officio conſueto mediocrem indignationem expertus eſt, einen kleinen Amts-Eifer, prandium poſtea nec largum, nec incongruum aſſumſit, nihilque adverſi inde ſenſit; hic cum quarta pomeridiana hora æſtivo tempore animi gratia vecturam medicam inſtituerit, poſt unius horæ tranſitum atrociſſima colica correptus fuit, cujus cauſa nec in aliquem victum aut potum, ſed in hunc motum conjici potuit: inde liquet, quam ſæpe motus corporis certos morbos alliciat & accerſat, qui ſub ſedatiori regimine utique averti potuerint.

§. IX.

Quando porro moderata vectura nonnullis phthiſicis, aſthmaticis, vomica & alio infarctu pulmonum, nec non pulmonum concretione cum pleura, cordis polypo, gibboſitate, alio pulmonum vitio, tophis, ſcrophulis &c. laborantibus, utilis exiſtit, tunc viciſſim iisdem motus corporis per *ambulationem* utplurimum valde *infenſus* & præjudicioſus eſt, quando ſub hac non modo *vires* ſuas *debiles*, inſtabiles, labileſque *intenſius* cogunt, urgent & applicant, ſed & ſanguinem largius ad pectus convocant, pulmones majori ſanguinis copia onerant, opplent & aggravant, indeque *reſpirationem* opero-

operosiorem magisque afflictam reddunt; sed eo ipso principem horum morborum causam perquam exacerbant, adeoque hoc motu totum morbum admodum adaugent ac uberiora symptomata excitant: unde talibus subjectis ne quidem *ejusmodi* motus corporis pro *medicina* morbosæ suæ afflictionis ordinandus erit: reminiscimur hoc ordine illius consilii in affectu morbosæ pulmonum concretionis cum pleura LENTILII in *Eteodromo Mens. Aprili p. 285.* dum ait: *tolerandum igitur malum & pectoralibus temperatis, abstergentibus quoad possibile, ulterior accretio impedienda, ita sub strictiori diæta, &* MOTUS CORPORIS EVITATIONE *vitam aliquamdiu fortasse, tametsi miseram, trahi posse:* & quamuis PECHLINUS l. c. *p. 502. 503.* adstruat: *quod itio vel ambulatio plusculum conferat ad sanitatem,* aut quod *in universum ambulatio salubior sit, quam vel Equitatio, aut vectura,* attamen *posteriores* motuum species in prædictis morbosis afflictionibus, si *modice* exercentur, plus conferunt, ubi *modica ambulatio* plus officit: quotidiana enim annotatione manifestum est, quod vel *leviter* pulmonibus afflicti a modico coeteroquin motu corporis anhelosi, & dyspnoea correpti deprehendantur, unde tali labe affecti juvenes in addiscendis exercitiis corporis ac *gymnastica* arte, ne dum quidem sæpe *sciamachia*, quam JOUBERTUS *Lib. de gymnasiis c. 16. umbratilem pugnam* nominat, *qua quasi cum umbra sua i. e. nullo adversario decertant,* se exercitare debent, ni eminentiora adversæ valetudinis accrementa experiri malint, quid quod porro illis subjectis, quæ ob gravem & intricatum morbum valde *extenuata* & emaciata sunt, quibus nunc nova corporis ro-

roboratio, confirmatio & amplificatio utilis & neceſſaria exiſtit, magis *parcus*, quam liberalis motus ſuadendus eſt; ſiquidem huc *quadantenus* quadrat, quod ARISTOTELES annotavit & indicavit, quod *motus pinguedini contrarius exiſtat:* adeoque in *talibus* ſubjectis conſumptionem corporis magis augeat & promoveat: huc referimus JOEPSERI *in manud. ad viam long.* aſſertum *Part. I. cap. 9. p. 92. 93. moderata quies non modo eſt probatiſſimum morbis, ex immodica exercitatione naſcentibus, antidotum; verum etiam plurimæ aliæ infirmitates quiete, tanquam validiſſima quadam Herculis clava trucidantur, ut dyſenteriæ, lienteriæ, diarrhœæ, reliqua alvi profluvia, a nulla re facilius, quam quiete placantur: qua etiam ratione motus* CELSUS *Lib. I. de medic. c. 6.* dicit: *quem frequenter cito alvus exercet, ſemper debet poſt cibum quieſcere & neque intendere animum, neque ambulatione, utcunque etiam levi dimoveri: quieſcente enim corpore natura non modo coctioni, ſed etiam morborum evictioni ſtudet: atque hoc modo cauſam morbificam aggrediendo, digerendo, expellendo & annihilando, alvi profluvia ſiſtit: pleuritides & pulmonum vitia, ſputum facilitando, curat: aliosque graviſſimos morbos ſolvit, quos absque interventione, difficile, quin imo impoſſibile eſt, ſolvere:* Seorſim ex hac obſervatione, quod interdum tales valetudinarii occurrant, qui vel ex *prægreſſo* affectu *hypochondriaco*, vel alio *morbo* aliaque *cauſa valde laxam* & lubricam alvum cum febre *lenta*, vel *hectico* ſtatu, conjunctam, obtinent, quæ excretio modo *remittit*, modo facile iterum *recurrit* & quidem ſi *inter alias* cauſas corpus paululum movent, quibus eapropter magis *tranquillitas* corporis commendanda; ita aliquando *anomalo* ſtatu & motu *hæ-*

morrhoidali afflicti talem *turbulentam* diarrhœam experiuntur, quæ *simili* corporis commotione *exacerbatur*, aut revocatur, quibus itaque motus ille facile *noxam* conciliat & provocat: ut propterea *alterius* conditionis & qualitatis illa dirrhoea existat, quæ referente RHODIO *Cent. I. obs. 48.* *motu corporis sedata* fuit, id quod etiam valet de *illis valetudinariis* hominibus, qui pravo *mesenterii ulcere* laborant, in quibus non modo communiter *confusa tormenta* in abdomine, sed & aliquando *purulentæ* & *saniosæ* fluxiones ex *alvo* & cum *urina* occurrunt, quæ singula pathemata corporis motu invitantur & *exacerbantur*; quare in talibus *abscessibus* BENIVENIUS *c. 37.* MARTINUS *de Morbis Mesenterii* passim impr. *p. 26.* *Ballonius Tom. I.* valde *providum* usum motus corporis commendant, siquidem mediante hoc, facile abcessus *commovetur* & symptomata *acerbiora* excitantur.

§. X.

Noxam porro motus corporis *facile* causatur *nonnullis calculosis*, præc. in quibus aut *asperiores*, aut *numerosiores* calculi causam afflictionis exhibent: hisce nec vectura, *lenior* licet, nec equitatio, nec obambulatio, corpus exercendi gratia, facile, *sæpe*, valde & *liberaliter* concedenda, sed ad præsentis calamitatis solamen *quietior* ac sedatior vita commendanda est: ex ejusmodi vero annotationibus vix quisquam adeo levis præcipitisve animi fuerit, ac si talibus subjectis *nudam*, perpetuam & *rigorosam* quietem corporis injungeremus, quæ vicissim noxam suam facile largietur: id tamen in *præsenti* etiam casu annotamus & indicamus, quod motus corpo-

ris

ris facilius *comparate*, quam tranquillius vitæ genus damnum & mali affligentis exaſperationem conciliet? Dantur etiam homines *juniores plethorici*, ſanguine ſubtili & in *orgaſmum* prono præditi, qui ſub *æſtuoſiori* tempeſtate modice corpus commoventes, ſubito valde moleſtam *ſtranguriam* experiuntur, quando *ſerum* exaltatum ſulphureum & ſalſum admodum *acre* impellitur & ſicuti in corporis *peripheriam* copioſius ac impetuoſius transfertur, ibique moleſtos *ardores*, *pruritus*, ſerpigines, maculas hepaticas, puſtulas &c. excitat, ita aliquando ad *veſicam* urinariam rapitur & hanc æque ac ejus cervicem *moleſte* afficit, hincq; ad talem *ardorem* contribuit: quemadmodum aliquibus perſonis *analoga* moleſtia accidit, quæ facilioribus & crebrioribus *congeſtionibus* & ebullitionibus ſanguinis generatim, ſeorſim vero ad *ventriculum* tendentibus, obnoxiæ ſunt, quæ viciſſim a *modico* motu corporis facile talem *congeſtionis impetum* & *ardorem* ventriculi irritant; eaque propter utraque ſubjecta circa hujus motus exercitium admodum circumſpecta eſſe debent: annectimus huic ſeriei valetudinariorum ſubjectorum, etiam homines *Dyſuria* afflictos, præcipue *plethoricos*, de *alacri* temperamento participantes, *commotionibus* ſanguinis expoſitos & in *ſenectutis* periodo conſtitutos, qui *leviori* commotione corporis & qualicunque illius ſpecie, aut etiam *incitata ſanguinis* commotione, vel ex ſimplici *ſermocinatione* provocata, morboſi ſui affectus *incitamentum*, augmentum ac recidivam cauſantur: Proinde occurrunt quidam homines *moleſta* & inquieta ſanguinis *ubertate* onerati, qui a *qualibet leviori* ſanguinis commotione, aut ab *animi pathemate*, aut victu & potu paululum ſpirituo-

E 2 ſo

ſo & *calefaciente*, aut æſtuoſa *tempeſtate*, aut balneis & calefactis locis, aut *aliquali* commotione corporis ominoſas *dolorificas* & *vertiginoſas* capitis perturbationes & moleſtias ſuſcipiunt, quibus propterea *ſingularis temperies* ac moderatio, quoad omnium *nonnaturalium* rerum uſum, adeoque etiam quoad *motum corporis* injungi & commendari, præcipue vero variis anni temporibus & occaſionibus *ſedatum* & tranquillum vitæ genus ordinari debet, ne ipſorum valde mobilis & ad *orgaſticam* commotionem proniſſimus ſanguis, in talem impetum ac *inquietudinem* conjiciatur; ſub qua neceſſitate & difficultate dein moderatio, *ſedatio* & quies ſanguinis ægrius impetrari & reſtitui poteſt; unde huc *Platonis* effatum congruit, quod *facilius ſit movere quietum*, *quam quietare motum*: Hunc numerum valetudinariorum, qui motu corporis facile alterantur, augent multi *Purpurati*, imprimis de *calido* temperamento participantes & ſimul *plethorici*, qui quoad uſum motus corporis eximiam circumſpectionem obſervare debent; tales enim homines, etiamſi *modice* corpus commoveant, facile & ſubito magnam ſanguinis *ebullitionem* & exæſtuationem, *anguſtiam* oppletoriam ferme totius corporis, præc. pectoris, capitis & peripheriæ, palpitationem cordis, ardorem & pruritum inſignem in cute, ſudores largos, augentes & moleſtos, ſpaſticas tenſiones in artubus, moleſtam vaſorum ſanguiferorum inflationem, de qua exclamant & quiritant: es wolte ihnen das wallende und ſtremmende Geblüt die Adern aufblaßen und zerſpringen, ſenſibiles dolores capitis, languorem corporis & varia alia intricata & *ſingularia* morboſorum pathematum ſpecimina incidunt, ut ea pro-

pter

ptercum maxima temperatura corpus movere,ſubinde vero *quieti* ſæpe inhærere, multo minus *obambulatione* ſe exercere debeant, quia hæc *plures vires* requirit, & nominata ſubjecta alias debiliora & in *præcipitem infirmitatem* plus proclivia gravius afficit, ſed modica potius *vectura* uti debent, ne nimia quies & ſedentaria vita iisdem alia damna & offendicula convocet.

§. XI.

Annectimus hactenus recenſitis variis *morboſis* Schematibus, quæ a motu corporis facile offendi poſſunt, adhuc plura alia, adeoque hoc ordine reminiſcimur *Hernioſorum* ſubjectorum, præc. *Enterocele* vel *umbilicali*, vel *inguinali*, vel *ſcrotali* laborantium, quibus *omnes* & ſingulæ rerum *non naturalium* ſpecies facile noxam afferre ſolent: hiſce itaque non motus tantum *fortior*, ſed non raro etiam *mitior* infenſus exiſtit: quare plurimi medici & chirurgi aſſeverant, quod *hernioſis quies* conducat: hinc SORBAIT *in Medic. Pract. tr. I. c. 69.* obſ. 4. ait: *plurimi ab herniis ſola quiete & ligaturis liberantur*, & HILDANUS *Lib. V. obſ. chirurg. 54.* teſtatur, *ex his* (nempe ex illa relatione & commemorata hiſtoria) *manifeſtum fit, quietem & decubitum in dorſum unicam eſſe Panaceam Herniarum:* & enim variæ cauſæ in hernioſis aliquando concurrere ſolent, vel ex *ingeſtis*, vel ex ſtatu *plethorico*, vel anomalo affectu *hæmorrhoidali*, *hypochondriaco*, *hyſterico* &c. ob quas etjam *levior* motus æque facile eximiam præſentis mali exacerbationem provocare poteſt & ſolet: ob id circa corporis commotionem temperantes & providi eſſe debent: idem etiam judicandum eſt de ſubjectis *uteri* & *ani*

procidentia laborantibus, quibus teste creberrima *observatione* & plurimorum *suffragio*, nec non interprete vera *ratione* motus corporis facile noxius redditur: ita ut nec frequens, liberalis & paululum auctior *ambulatio* iisdem conducat, sub qua viscera abdominis suo *pondere*, *deorsum* magis *premente*, affecta loca facilius exprimant; nec *vectura* illis facile conveniat, sub qua compressum abdomen & per vecturam simul concussum denuo grande & *efficax* incitamentum ad recursum hujus procidentiæ subministrat; id quod etiam de *equitatione* sentiendum & metuendum est: hinc periti medici & chirurgi sollicite monere ac dehortari sciunt, ne motu corporis huic afflictioni stimulum & calcar addant: experiuntur itaque *herniosi* & *ani procidentia* afflicti mystæ, quando ministerialibus suis officiis fungi debent, sive concionando, sive ægros visitando s. funera comitando, sive a parochia matre ad filias se conferendo, sive domesticis negotiis prospicendo, quas molestias & pericula a corporis motu contrahant & excitent: experiuntur duplo graviores & acerbiores ex *ejusmodi* corporis *morbosa* afflictione calamitates, homines, qui *labore mercedem* ac panem lucrari tenentur, quos *modicus* motus corporis facile offendit, ut conqueri teneantur, daß sie wegen ihres Leibes-Schaden sich überhaupt großer und vieler, nachmahls dieser und jener auch geringen Arbeit enthalten müsten: Addimus prioribus valetudinariis hominibus, nonnullos *strumosos* præc. *breviori* & *angustiori* collo præditos, simul *plethoricos*, *orgasticas* & *congestorias* sanguinis commotiones facile subeuntes, in actuales *hæmorrhagias* inclinantes, aut *adsue-*

ſuetarum ſpontanearum hæmorrhagiarum, ante hac *ſalutarium*, *ſuppreſſione* laborantes, qui ob talem morboſarum cauſarum & qualitatum complicationem quoad motum corporis perquam *moderati* eſſe debent, ni facile ominoſas dolorificas & *vertiginoſas* perturbationes, *anginodeas* comminationes, anguſtias *ſuffocativas* & intricatas *aſthmaticas* afflictiones ſub eadem motus corporis exercitatione ſibi contrahant: unde iterum ſæpe magis *tranquillitati* & continentiæ, impr. ſub æſtuoſa, nebuloſa, turbulenta, ventoſa & frigida, aut frigido-humida tempeſtate ſtudere & inhærere debent: *Scabioſi*, quam diu hac infectione *acerbius* laborant, *curatorio* ſcopo *parcius*, *ſedatius* & temperatius corpus movere debent: tanto magis ſanguine *ſubtili* & *copioſo* inſtructi, in hiſce enim cito ac facile tota maſſa ſanguinis exæſtuatur, indeque miaſma illud ſcabioſum *intenſius* impellitur, denuo *intimius* cum humorum maſſa permiſcetur, qualitate ſua *deterioratur*, firmius & tenacius *lymphæ* innectitur, proinde in *cute* majorem & moleſtiorem *ardorem*, *pruritum* & congeſtionem cauſatur, adeoque totum affectus ſchema *exacerbat*; ſingula hæc afflictionum ſpecimina in *prædictis* ſcabioſis motu corporis etiam *mediocri* provocari poſſunt & ſolent; quare *male* ſibi *talia* ſcabioſa ſubjecta, juxta ante indicatas circumſtantias, cum corporis motu conſulunt: tandem hoc ordine mentionem quaſi iteratam facimus, quorundam ſubjectorum *calido* temperamento præditorum, *plethoricorum*, ad ſanguinis repentinas & ſtrenuas congeſtiones, nec non ſubitanea molimina hæmorrhagica diſpoſitorum, quæ ex modica commotione & exæſtuatione corporis facile

Eryſi-

Eryſipelaceas inflammationes, *purpuram urticatam* & *volaticam* efflorescentiam cutis ſuſcipiunt; quare tempore ſereno vernali, aut calido æſtivali valde temperanter corporis motui operam dare, *relative* vero *magis quieti* indulgere, indeque ſanguinis motum in valde *placido* circuitu conſervare debent.

§. XII.

Ultimo tandem loco nonnullas peculiares annotationes quoad *incongruum* & *noxium* uſum & effectum *motus* corporis addere placet: multum itaque refert, quo cuilibet ætati *conveniens* motus *ſpecies* ordinetur, ne videlicet *juniores* homines ſub perſuaſione *roborandi* lacertos, majorem corporis *proceritatem* ac virium præſtantiam impetrandi, nimis ſtrenuos, impetuoſos, nec non repente & inſigniter *enervantes* ſuſcipiant; quare facile teneri & graciles adoleſcentuli, crebra & diuturna *ſaltatione*, forti, præcipiti & vehementi equitatione, bellicorum operum exercitatione, præcipitata venatione, artis gladiatoriæ acri & agili proſecutione, equeſtri ludicro de palma contentione, aut haſtiludio &c. ſibi arduos, periculoſos & plane immedicabiles morbos provocant; id quod etiam contingit, ſi debiles ac teneri adoleſcentuli ad *operoſas* aut plane curſorias *obambulationes* coguntur; ſi quidam ante prandium aut cœnam quocunque exæſtuante motum ſe fatigant & ſubinde udo & ſudante, ad minimum *fervido* capite & corpore *victum* & *potum* ingerunt, & tali modo ſubito periculoſas cauſas morbificas, videlicet ſtagnationes & *ſtaſes* humorum in *pulmonibus* & reliquis viſceribus corporis provocant: proinde maxime nocivum illud motus corporis eſt exercitium,

quan-

quando *juniores* tales *ſenſibiles* homines urgente tempeſtate *æſtuante*, aut *obambulatione*, aut *luſu* quodam, quamvis *mediocri* virium applicatione ſe exercent, nec adeo ſolliciti, attenti & obtemperantes ſunt, ut alias cauſas, ſub hoc ſtatu facile *offenſionem* inferentes, evitent, quare iterum ex eodem corporis motu non niſi ominoſam *noxam* expectare debent: magnum etiam damnum hic motus minatur *ſimilibus junioribus* ſubjectis, quando urgente *valde æſtuoſa* tempeſtate, modico licet ingreſſu exſpatiantur, ac in *inflammata* athmoſphæra quaſi *cremantur* & aſſantur, unde non modo *puſtulæ* & veſicæ, præcipue in facie, eximium *ardorem* inferentes effloreſcunt, de quibus dicunt, es ſey Sonnen-Brand, ſed & ſanguis vehementer *inturgeſcit*, ut ſuperveniens afflatus ventoſus, vel levis ex- & interna refrigeratio, (quo etiam potum, ſi non *admodum refrigerantem*, modo liberaliorem avidisque faucibus ac ſitiente lingua hauſtum, referimus,) facile ſubitaneas ſtagnationes & ſtaſes humorum in pulmonibus, hepate, aliisque abdominis viſceribus, cauſetur, exin talia ſubjecta in ſubitaneas *chronicas*, *phthiſico hecticas* & alias valde *irregulares* ægrotationes delabuntur, imo *præmaturæ* ac *inopinatæ morti* ſubjiciuntur, ac demum ſub *ſcrutinio defunctorum* intricatas vomicas, abſceſſus latitantes in pulmonibus, meſenterio, hepate, pancreate, Liene &c. conſpectui offerunt, quæ quidem *mortis cauſa* ſat evidens eſt, *morbi* vero *cauſa* in prægreſſo *incongruo* motu hæret: quid quod ex rationis & obſervationis fundamento fluit, *tales* homines *juniores*, *ſenſibiliores* & *teneriores*, quando *æſtiva* & *fervente* tempeſtate *motu tali* corporis ſe exercent, facile, præter reliquam *ſanguinis* exæſtuationem, non modo *externum craſſius*, ſed & *internum tenerius* ſyſtema *corporis*, *organo-*

rum & *vaſorum* valde enervare, ex *liberaliori potus* & *victus* ingeſtione *primas regiones* admodum obruere, cruditatibus opplere & febribus regularibus & *irregularibus* intermittentibus, *lentis*, *hecticis*, obſtructionibus & infarctibus viſcerum, aliisque *intricatis* morboſis afflictionibus anſam præbere: Tandem etiam indicamus, quod mitior, *lenior*, ſedatior & temperatior motus corporis ita dictis *Sanguineis*, *Cholericis* & *Phlegmaticis* ſubjectis multas ob cauſas commendandus ſit; nec ſubito concludendum eſt, quaſi motus citatior & excitatior, *prioribus* præcipue familiaris, *haud præſentaneam* & extemporaneam noxam iisdem afferat: ubi viciſſim inquirendum & annotandum erit, quam facile & ſæpe *liberaliori*, ſi non abſolute incongruo & excedente motu, eminens *nocumentum* ſibi contraxerint; *quibus* ſubjectis ea propter *minor* & *moderatior* motus in *ordinario* ſanitatis tramite ordinari, in aliis *morboſis* invaſionibus pro ratione cauſarum utplurimum magis *mediocris* commendari debet: Et hæc ſufficiant pro præſenti inſtituto ac deductione, dum *valde limitatum* & *circumſpectum* exercitium *Motus corporis* tam in *ſtatu integræ* ac *conſervandæ*, quam *vacillantis* ac mutabilis, aut plane *amiſſæ* iterumque reſtituendæ ſanitatis, hoc themate explicare cum Deo ſuſcepimus: abrumpimus itaque præſentem tractationem ac iterato *providum*, nec promiſcuum ac univerſalem uſum hujus motus probamus: Deo benigniſſimo, perfectiſſimo, ſapientiſſimo ac ſummo perpetuo Motori, omniumque motuum Directori humillimas gratias pro præſtito auxilio, in præſenti ſtudio ac labore, tribuimus, devotiſſimasque preces inſinuamus, quo hiſce æque ac reliquis noſtris laboribus & conatibus exoptatum ac ſalutarem largiatur ſucceſſum, uſum atque FINEM.

NOBI-

NOBILISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

P R Æ S E S.

MOvere & tantum commovere, nil vero promovere, inane est negotium; utut vero juxta *Senecam* magna vitæ pars elabitur male agentibus, aut tota aliud agentibus, ita ſane vita humana ſolenne præſentat theatrum, in quo varii motus, variæque actiones exercentur: celebre inſuperque luculentum monumentum eſt, quod quædam exercitatio animo & corpori proficiat, alia vero viciſſim utrisque officiat: Magna datur illorum caterva, qui glorioſa jactantia motu & quod magis eſt contumelioſo ſtrepitu atque impetu alte ſapiunt, alta capiunt, cupiunt, promittunt & altiſone ſentiunt; quæ ardelionum & ſciolorum ſeries in hoc mundi theatro ſua exercitatione animi &

corporis ignominiam acquirit, ac histrionum more vanitatem operatur: Prudentiæ humanæ character est, aut ad salutem movere, aut utilius quiescere: Motus, qui tantum circa cruditates mundanas versatur, insanus est impetus: Cocta movere oportet, non cruda, quæ posteriora consultius intacta relinquenda: nec actum agere impræsentiarum animus est; quemadmodum laudes & encomia Motus corporis multis documentis atque speciminibus medicis comprobata inclaruere. In regno spirituali quies a laboribus eximia obtinuit elogia: in regno naturali vicissim sæpe quies præ motu prærogativam tenet: utinam quieti mente & corpore homines multis sub vicissitudinibus rerum indulgeant, ita animi & corporis spiritualis & naturalis vitæ famam, celebritatem & salubritatem acquirent: In œconomia vitæ animalis multi contingunt motus, quorum insalubrem effectum quies emendare debet: prudentis animi symbolum est, invidiosos, insidiosos ac perniciosos motus atque strepitus tranquillitate ac sedata continentia convincere: plu-

rima

rima damna a motu proveniunt; quies non toties rerum relationes & reſpectus alterat violatque. In morali ſenſu inquieta indoles atro notata eſt carbone; in qua turbulenti motus noxa facile illuceſcit: in vitali proceſſu tam ordinariæ, quam extraordinariæ qualitatis incongrui motuum gradus atque uſus damno ſuo indies ſe produnt: nec difficile mihi fuerit demonſtrare, quod major hominum numerus ſub motus exercitio, quam ſub quietis uſu ſuccumbat: Eximia momenta in utroque tam ſpirituali, quam naturali regno conſideranda veniunt in Motus ſphæra: & plurimi tamen phyſicorum & medicorum ambigunt, quænam genuina Motuum ſit familia. Periti Medici congrua motus corporis ordinatione ſæpe plus, quam tota remediorum ſuppellectile efficiunt; aſt viciſſim liberali ejusdem commendatione ſæpe tanta inferunt damna, quæ reliqua artis ſuppellex redintegrare, haud potis eſt: in utroque peccare, relligioni ducere debet conſcientioſus artifex: ſuſtine & abſtine! prudens eſt in omni foro ſymbolum: imo Apoſtolus ait: *Philip.*

IV. 8. quæcunque ſunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque juſta, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, ſi qua virtus, ſi qua laus eſt, hæc reputate, aut quæ Pſalmiſta *Pſ. LV. v. 19.* decantat: *redemit vitam meam, ne belligerent in me, collocans in pace, quando multis copiis belligerabant, fuerunt penes me:* illic laudatur, quo ſtrenuo celerique motu (jaget nach) ſectemini, hic promittitur pax, quies: Sed quænam Tecum nunc verba miſceam *Nobiliſſime Domine Candidate,* quem ab incunabulis novi, imo dilexi: non una, ſed plus una vice quippe bellus & egregius juvenculorum floſculus aureis me compellaſti verbis: *Deus nobis eſt receptus & robur, auxilium in anguſtiis præſentiſſimum: idcirco non timeremus:* tunc temporis, Deo ita diſponente, orbatus fueras Genitore pio, docto, integro, aliisque virtutibus clariſſimo, cujus manes atque cineres, quippe amici quondam ſuaviſſimi & ingenui, adhuc veneror: nec me latet, quod ſub dexterrima ac fideliſſima directione *Patrui Tui Spectabilis,* quippe Parentis vices compenſantis, Fau-

toris

toris mei honoratissimi, educatus omnibusve saluberrimis monitis & manuductionibus enutritus fueris: a multis sane annis spectatissimae Tuae familiae probitas, sanctaque candoris imago perspecta & explorata est, qualis patrius candor Tua pariter occupavit praecordia: inest tibi indoles flexilis, & a fallacia, dolo & sycophantia alienissima, quare aliam barbariem astutiae & simulationis hactenus effugisti: Per aliquot annos in Medico curriculo multa salutaria dogmata ex aliorum aeque ac ex meis privatis & privatissimis institutionibus, hausisti, & ad ingenua mea monita pronum atque attentum Te praebuisti; omnia debes divinae indulgentiae & directioni, multa Spectabili Tuo Patruo & lectissimae, fidissimae, mitissimaeque Tuae, quae quippe ocellum Te fovit, Matri; Tibi huc usque Deus auxilium fuit praesentissimum: nec ullus dubito, quin pio ac devoto animo agnoveris opulentiam Gratiae Dei ejusque benignitatem, quae fuit erga Te in Christo Jesu *Eph. II. v. 7.* Et dum nunc ad vitae Academicae eventum contendis, pia Tibi vota acclamo; Faxit eadem

dem cœleſtis clementia, ut temporales hi honores, quibus Te Medica exornat Facultas, in gloriam Summi rerum humanarum Moderatoris, Agnatorum deſideratiſſimum ſolatium & propriam Tuam ſalubritatem cedant: Age itaque & plus ultra in omnibus ſalutiferis ſcientiis proficere perge, nec manum ab aratro ducere cogita, quin rectius nunc ſtrenue Te in omni, quod Deo & hominibus perplacet, exercere, intende: Sequere patria & patrua veſtigia, nec unquam deflecte; Protegat Te, Tuosque illa alma benedictio, indiesve novis Vos cœleſtis gratiæ accrementis beet; ante omnia omnis ſapientiæ ac terrenæ cœleſtisque proſperitatis initium timorem Domini eſſe, haud obliviſcere, ſic Tibi Deus ſemper erit receptus ac robur, auxilium in anguſtiis præſentiſſimum, ac percutiet alma ſua manu dextra alienos infelices ſucceſſus, mundique calamitates: ut haud alienis lubricis gratiis indigeas. Sic voveo! ita ſpero. Vale. Dab. Halæ Magdeb. III. Nonar. Martias A. O. R. cIↄIↄccxxxiv.

Viro